

Praestantissimo Dn. Henrico Florenio Casparus Stroz. S. de a<sup>o</sup> 1631.  
 Equidem mi Amicissime Floreni, longiores ad te expedire  
 nisi causa essent suspicandi tuum ex isto loco abitum. Scri-  
 pseram ad te ante hiemem atq; responsum instantissime  
 urseram, sed frustra, unde mihi suspicio tui abitus. Nunc  
 si te forte ha invenient, paucula de tuo Chamiero tecum  
 colloquor. Non prostitit ille hactenus alium mihi usum, nisi  
 quod fuit monumentum tuae amicitiae, usq; propterea, quia  
 hanc hiemem mihi plane non vixi, sed alij, et partim  
 laborib; pedagogicis, partim febrili morbo tantum non  
 oppressus sum. Ante biduum denam deposita provincia  
 ista permolesta Franekeram redi, mutato consilio, quod  
 ante hiemem ad te perripseram, per annum hic, si deus  
 volet, commoraturus. Isti durante mecum constitui Chamie-  
 ram tuam in modum, quo tecum olim coepi, in succum  
 meum convertere, si exemplaris mihi copia erit. Pro hoc  
 scopo duo ab te per nostram amicitiam peramanter  
 contendo; alterum ut velis per aliquod tempus usui meo  
 istos libros adhuc concedere, alterum, ut ea quae olim con-  
 mani opera inde excerpimus, mihi velis transmittere. Pro  
 usura hac si quid cupis, promitto me tibi descriptum da-  
 tarum, quicquid inde excerpsero, et simul libros cum  
 bona gratia salvos a manib; reddatur. Facies in ea re,  
 quod Amici est, et poteris absq; tuo incommodo. Rogo  
 autem ut per studiosos harum exhibitores mittas, quae  
 petii, vel quaecumq; responsum, et si nolis, quoniam tibi  
 remittendi sint Leidamne an Bremen: aut si forte con-  
 modius tibi sit vendere, tum scribe, an et quanti mihi  
 velis. Excerpta tamen illa mitte, ego tibi certe restitu-  
 eram, si nondum descriptisti. Vides me plane brevem  
 et subitam, quia incertus sum, an sis in loco. Vale et  
 ne quae me linguas absq; responso, si has videris.  
 Franekera 2. Aprilij st. v. 1631.

T. Casparus Stroz.

Inscriptio.  
 Praestantissimo et Dno  
 Henrico Florenio, Amico  
 singulari

Leidam